



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1624. usque ad annum 1627

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118863

§. 78. Belli Mantuani initia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67369)

verat, & Mauritius hanc Abbatiam Sæc. XVII.
 prolium suarum sustentationi designa- A. C. 1627.
 verat: ubi vero Ferdinandus Cæsar
 crebris victorijs clarus erepta Monachis
 Monasteria restitui præceperat, atque
 Swicardus Moguntinus Archiepiscopus,
 qui tum Hirsfeldensem Abbatiam pos-
 sedit, vita functus erat, Ordo sancti
 Benedicti illam sibi rursus vendicare ni-
 tebatur, quæ tamen sollicitante Carolo
 Carafa Sedis Apostolicæ Nuntio, Leo-
 poldo Guilielmo Cæsaris Filio concessa
 est: Eiusdem quoque Nuntii opera fa-
 ctum, ut hoc anno celeberrima præfati
 sancti Ordinis Monasteria, quæ hucus-
 que in Austria nullo nexu inter se di-
 visa erant, in unam Congregationem
 Cassinensis disciplinæ æmulam redige-
 retur, accedente summa pietate, opti-
 maque Abbatum voluntate, necnon
 postea consensu Pontificio, quamvis lo-
 corum Ordinarii hanc novam Congre-
 gationem multum oppugnassent.

§. LXXVIII.

Belli Mantuani initia.

Adhucdum potiora Europæ Regna bel- Hist. d'Ital.
 li flammis exardescabant, cum e- Girol. Brus-
 tiam in Italia levis dissidii scintilla tan- son. l. 1.
 dem in tam funestum prorumperet in- Nani l. 7.
 cendium, ut integræ Provinciæ non pag. 193.
 sine Buffier Hist.
Franc. p. 606.

Sac. XVII. sine rei Catholicæ dispendio in cineres
 A. C. 1627. redigerentur: Originem turbis dederat
 Vincentii II. Mantuæ & Monferrati Ducis obitus: Reliquerat hic non nisi unicam Francisci Fratris sui Filiam, quam ut securior esset successio, Carolo Rotundenſi ac Nivernensi Duci, ex Agnatiſuis proximo desponsari, eidemque Mantuanum populum fidei Sacramentum obstringi voluit. Annuit etiam summus Pontifex, legisque gratiam indulsit. Indignabantur autem Hispani, quibus Principem in Galliis enutritum in Italiæ centro stabiliri displicuit: Cæsar quoque se neglecto liberatum Imperii feudum transferri ægerrime ferrens, per Joannem Nassovium Comitem, Legatum suum postulabat, ut tam Mantuanus, quam Monferratensis Ducatus sibi tanquam supremo Domino sequestri nomine relinquerentur, donec de successorum jure ex lege constaret. In hoc turbido pariter piscabatur Carolus Emanuel Sabaudia Ducis, qui junctis cum Hispano consiliis antiquum jus suum in Montferratensem Ducatum resuscitare nitentur, Hispani pollicitus, cessurum se propugnaculo Casalensi unacum magno ejusdem Provinciae tractu. Hispani autem æquius ac Austriaci potentius favebant Ferrantio Gaustallæ Principi, Galli eccor-

tra Carolo Nivernensium Duci, qui e-
 tiam sequenti post Vincentii Ducis obi-
 tum die Mantuam ingressus, cives mi-
 litesque sibi sacramento obstrinxit, in-
 cassum reclamante, ac Hispanorum ar-
 ma comminante Ferrantio, in cuius fa-
 vorem Consalvus Corduba Mediolani
 Præfectus, clandestina cum quibusdam
 civibus conspiratione facta Casalensem
 Urbem ingressus, subditos a Nivernensi
 Duce avertere studuit: spe vero sua
 delusus per Trajanum Viscardum Can-
 cellarium, qui Casalenses & Montfer-
 ratenses in Nivernii fide servaverat,
 Philippum IV. Regem ad bellum Hi-
 spanicæ Monarchiæ perniciosum, Italiæ
 funestum, ac toti Reipublicæ Christia-
 næ noxium incitavit, frustra Venetis &
 Nivernio pacem inter Franciæ & An-
 gliæ Reges sollicitantibus.

Sæc. XVII.
 A. C. 1627.

§. LXXIX.

*Continuatum Polonos inter & Sue-
 cos bellum.*

Dum in Italia bellum parabatur, acio-
 res, ac rei Catholicæ oppido fune-
 stæ belli flammæ in Borussia accensæ
 latius incendium Germaniam usque
 propagarunt; Gustavus enim Adolphus
 Sueciæ Rex accepto nuperæ cladis
 nuntio commotior factus, Mense Majo
 cum

Jager Hist.
Eccl. l. 7.
cap. 18.
Pufend. Hist.
de Sued.
t. 2. p. 190.
Lotich. rer.
Germ. l. 20.
cap. 4.